



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Ordo debet in restitutionibus obseruandi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

prudentis: quia si coram populo aut vulgaribus restitutio hæc secunda facienda est, debet sic fieri. Sed si coram sapientibus tantum ista restitutio esset confirmatio infamiae: quia intelligentes penetrant quod licet malè & iniuste, veruntamen dixit detrahendo. De bonis autem animæ, si pertinent ad partem intellectiuam: ut si quis damnificauit aliquem docendo falsa, tenetur restituere docendo vera, vel saltem significando illi quod falsa sunt quæ docuit. Si autem pertinet ad partem effectiuam (ut sunt illa quæ ad mores spectant, quæ non possunt ab inuito tolli, nec ab altero possunt restitui) tenetur dare operam ad reducendum eundem ad bonos mores si potest, vel saltem orationibus, ieiuniis, eleemosynis iuuare illum ut resipiscat. Et hæc propriè habent locum quando damnificatio in huiusmodi bonis animæ fuit per se: quoniam si fuit per accidens (puta quia doctor putauit se vera dicere: & lasciuus socium prouocauit ad similes libidines, non ut illi noceret, sed delectationis, libidinis, & huiusmodi causa) satisfaciendum est magis Deo quàm hominibus: ut experientia testatur poenitentium. Satisfacere enim intelligitur vtrique ex eo quòd verè poenitens est: & plus ædificat poenitentia quàm læserat perulantia, ut in Maria Magdalena & alijs similibus videmus.

Ordo debet in restitutionibus obseruari.

Caput octauum, quo ordine restituendum est; nullus est ordo in restitutione necessarius, si potest omnibus restitui. Sed vbi facultates ad restituendum non supererunt ut omnibus satisfiat: seruandus est ordo iste, ut certa prius restituatur quam incerta: quia illa possunt absq; humano damno omitti, certa autem non. Constat enim omnia restituenda, ad humana damna restauranda ordinari. Et hinc habere
potes

potes quam grauis sit eorum error, qui quum omnia restituere nequeant, componere quarunt pro incertis cum prælatis Ecclesiæ, quasi proprium decætero possessuri quantum æquiualeat incertis restituendis, & sic certos creditores eludere. His quippe dicendum est. Nolite errare. Deus non irridetur. Nisi incerta extarent in sua adhuc specie: puta qui inuentus aut furto sublatus calix adhuc extat, & non potest inueniri dominus. Nam in tali casu, redendo prius Christo rem Ecclesiæ seu pauperum, nulli fit iniuria creditori certo: quia debitor non tenetur creditoribus satisfacere de re aliena. Constat autem rem illam in tali casu nunquam fuisse suã, sed adhuc perseuerare alienam: & propterea idem est de illius restitutione iudicium: vt nunc de similibus certis subiungetur. Inter certa igitur prius restituenda sunt quæ adhuc in sua specie extant & aliena sunt: qualia sunt depositæ res, & similiter res furto aut rapina occupatæ: quia res huiusmodi non computantur inter bona restituentis: vt pote quarum dominum nunquam fuit in eum translatum: & ideo res ipsæ ante omnia restituendæ sunt dominis. Similiter etiam si res emptæ & possessæ, sed non solutæ adhuc in sua specie extant, reddendæ sunt illi à quo emptæ sunt: quoniam licet translatum fuerit dominium in eum qui emit, subiecta tamen obligationi ipsamet res manet quousque soluta est: & propterea tanquam non fuerit inter bona restituentis computanda est.

Postquam autem res extantes alienæ simpliciter vel propter pendente solutionem ipsarum restitute sunt, seruanda videntur statuta municipalia si extant & iniqua non sunt, circa restituendi ordinem in huiusmodi: vt in multis locis dicuntur esse circa numularios qui decoxerunt. Si verò nulli extat statutum, ius ciuile seruandum videtur. & ybi diuersitas opinio-
num

num occurrit, tutior pars eligatur, si vera nescitur. Esto ergo cautus in huius iudicio interrogando, si ibi extant statuta aliqua de hoc: & si nescis, consule peritos an iustificata sint. Si nanque contra supradicta pugnarent, tuta non viderentur: nisi fortè circa vltimum dictorum aliter disponerent: quia pro communi bono creditorum certorum quos oportet aliquid perdere de suo, tolerabile videtur, vt res emptæ ac possessæ extantes, licet non solutæ inter bona debitoris computarentur sicut alia: quia hoc etiam pro communi bono ciuitatis videtur & non contra ius naturale, sed ciuile. Sed quòd res extantes alienæ in veritate & indubiè, computarentur promiscuè, sicut alia debitoris bona contra naturale ius est, quo aliena bona tuenda non occupanda, non minuenda sunt vt alteri bene fiat. Circa quæstionè verò illam an quum bona vsurarii non sufficiunt ad satisfaciendum debitis licitè contractis (puta emptionis cõductionis, mutui honesti & similia) & vsuris, prius satisfaciendum sit debitis licitè contractis & de residuo vsuris quantum potest, aut econtrario. Naturalis ratio dicit: quòd restituenda sunt integrè debita licitè cõtracta: si duæ adint conditiones. Prima est, quòd res vsurariæ non extent in propria specie, vt si extent pignora per vsuram acquisita. Nam quia huiusmodi res sunt alienæ (hoc est domini pignoris) debent hæc prius restitui dominis reddentibus quod mutuò acceperat super illis pignoribus, & postea restitui debita licitorum contractuum, hoc enim patet sic oportere fieri ex superius habita regula quòd res extantes alienæ debent ante omnia restitui dominis earum. Secunda conditio est, si ex huiusmodi contractibus licitis, non est factus pauperior ad reddenda priora vsurarum debita: vt contingeret in dote promissâ, & in conditionibus infructuosis, & similibus: quia huiusmodi

cen.

contractus superuenientes usurariis debitis non debent tollere aut impedire ius illorum quibus debent usuræ restitui. constat autem quòd ius illorum tolleretur ex huiusmodi superuenientibus contractibus, eo ipso quod ex illis contrahens redditur impotens aut magis impotens ad restituendum usuras: quia in restituendo hæc, id quod debebant pro usuris, oportet dari pro istis contractibus. Non sic autem est in contractibus mutui emptionis, & huiusmodi: ex quibus nihil fit quo minus usuræ possint restitui ut prius: nam ex mutuo accreuit in bonis tantum quantum accepit mutuò: & si emit, res empta accreuit. & sic restituendo mutuum, & soluendo rem emptam non fit pauperior ad restituendum. Ratio autem quare regulariter prius restituenda sunt debita ex licitis contractibus quàm usuræ, est, quia non sunt accipienda aliena inuito domino, ut restituantur aliàs malè accepta aliena, si autem debita ex licitis cōtractibus non redderentur, eo ipso quòd inciperent detineri inuito domino, acciperentur aliena inuito domino, quæ usque in illam horam accepta & possessa erant volente & expectante domino.

Et si insistetur quod si ista ratio efficax est, cōcluderet etiam quod quando esset factus ad restituendum pauperior ex licito cōtractu: adhuc prius restituenda sunt debita ex licito cōtractu quàm usuræ: quia tunc si debita ex licito cōtractu non redduntur, incipit detineri alienū inuito domino. Soluitur hæc instantia, intelligendo quòd in tali casu quo ex cōtractu debiti liciti factus est ad restituendum priores usuras pauperior, non incipit detineri alienum inuito domino: sed incipit detrahi ex debito talis cōtractus tantum quantum damnificauit talis cōtractus præexistencia debita ex reddendis usuris.

Non enim diximus quòd prius restitui debent omnes

omnes vsurę quàm aliquid debitum ex tali contractu licito. sed quòd debitum ex contractu licito superueniente debito vsurarum, pro quanto fecit pauperiorem ad restituendum vsuras, pro tanto non debet proponi debito vsurarum: pro quanto autem non damnificauit, debet proponi debito vsurarum: alioquin acciperetur alienū inuito domino, eo ipso quòd inciperet detineri inuito domino.

Restitutionis casus quasi infiniti sunt.

Quia verò restitutionis casus infiniti sunt, & innumeræ accidunt quæstiones, an oporteat restituere, an non reducendum ad mentem duxi, vt confessor qui iudicare debet, habeat ante oculos mentis duas restitutionis radices, ex quibus consurgit omnis necessitas restitutionis, vt ad illas semper examinet an sit restituendum. Sunt duæ hæ radices acceptio & res. Omnis nanque restitutio consurgit aut ex acceptione (puta quia accepit mutuo, deposito, conducto, pignore, furto, rapina, fraude, combustione, excidio, & similibus) aut ex re: puta quia res aliena est apud eum in seipsa, vel in suo effectū, fructu, seu æquivalente. Aut ex vtraque scilicet acceptione, & re simul: vt quia accepit & habet rem alienam. Et scito quòd seclusis licitis contractibus, acceptio obligans ad restitutionem est duplex. Quædam iniusta propriè (hoc est secundum propriam rationem iniustitiæ) quia scilicet damnificans proximum: vt acceptio furtiua, raptiua, vsuraria, fraudulenta, violenta tam absolutè quàm mixtum inuoluntarium induceas, vt meretricum blandæ valde extorsiones supra debitam mercedem, & cupida attractio quasi compellens ad ludendum, & siquidem omnis similis actio ex suo genere damnificatiua proximi, causans inuoluntariam dationem rei suæ: quia non minus